

periphrasis mortis & sepulturæ, de qua supra cap. 25. 8. sepulturæ honorem patri præstiterunt fratres duo Esau & Iacob, digna filiis pietas: Colligitur hinc inter fratres hæcenus mansisse amicitiam incolumem. Sic tria mortalitatis humanæ exempla illustria Moses hoc capite proposuit, in Debora nutrice, in Rachele coniuge Iacobi, & in Isaaco patriarcha. Porro chronologia obitus

A Isaaci notanda est. Decessit anno Iacobi 120. Iosephi 30. quo etiam exaltatus fuit in Ægypto, tertio decimo post eundem venditū, diluuii 632. mundi 2288. Per *ωεληψiv* vero mors Isaaci hic recitatur. Nam omnia quæ deinceps vsque ad cap. 42. referuntur, ante obitum eius contigerunt. Anticipatur vero, quia Moses Isaaci curriculum hoc loco terminare voluit.

## CAPITIS XXXVI.

### Argumentum, Vfus, Partitio, Analyfis.

**C**laudat hoc capite Moses quintam huius libri partem, quam supra tribuimus IACOBO, digressione texens genealogiam filiorum & nepotum Esau: Regum item ac Ducum ex eius stirpe descendantium, qui vsq; ad Mosi tempora Idumæam tenuerunt. Non debet vero absurdum videri Spiritum sanctum nunc immorari in familia impia describenda. Etsi enim Esau cum posteris discessionem fecit ab Ecclesia, fuit tamen nepos Arabami, & quantum ad sanguinis ortum dignitate ac nobilitate par Iacobo, licet hic prerogatiuam spiritualem obtinuerit. Pertinet ergo ad illustrandam veritatem promissionis: Multiplicabo semen tuum instar arenæ maris. Deinde historia instituta à Mose de prima origine & propagatione non solum ecclesie, sed etiam aliarum gentium extra Ecclesiam catalogo isto pertexitur. Tertio: ex hac recitatione (quam Spiritus Sanctus 1. Paral. 1. prope verbotim repetere dignatus est) ea quæ deinceps in sacris literis de posteris Esau, de Edomais, & de Edomæa regione commemorantur, facilius intelligi possunt. Quarto: hinc cernitur impletio benedictionis, quam Esau obtinuit à patre cap. 27. Gladio tuo viues, dominari incipies, &c. Nam per nuptias cum Choraïs principibus affinitatem contraxit, postea illis vi oppressis vel expulsis (vt est Deut. 2.) dominatum Edomæa obtinuit. Quinto, Monet de discrimine felicitatis impiorum & piorum. Familia Esau cito crescit & floret opibus, potentia & dominatu: Iacob cum familia obscurus vagatur incertis sedibus, posteri premuntur longa seruitute. Quis non diceret benedictionem Dei stare potius ab Esauo quam à Iacobo? Sed impii cito extolluntur coram mundo, vt cito deiiciantur coram Deo. Piorum autem benedictio non est in externo mundi splendore, sed in spiritali pace cum Deo, & quantum ad externa, quæ Deus suis promittit, licet subito non adsint, tamen abunde tandem præstantur, & impiis pereuntibus pii promissiones obtinent. Semel hic extollitur familia Esau: postea tacetur, imo perit: Contra familia Iacobi tandem terram promissam occupat, & seruetur. Ita apparet catalogum hunc ecclesie non esse inutilem.

Partes præcipuæ tres sunt.

Prima De vxoribus, filiis & nepotibus Esau, vsq; ad ver. 20.

Secunda Genealogia Seir Horai, vsq; ad ver. 31.

Tertia Catalogus Regum & principum Edomæa ex Esauo.

In prima parte: 1. Sunt filii Esau ex diuersis vxoribus suscepti, ver. 5.

2. Migratio Esau ex Cananea in montem Seir, ver. 7. 8.

3. Nepotes Esau ex filiis, vsq; ad ver. 15.

4. Principes familiarum in posteris Esau, vsq; ad ver. 20.

In secunda 1. Filii & nepotes Seir, Horai, vsq; ad ver. 29.

2. Principes familiarum in posteris Seir Horai vsq; ad ver. 31.

P 3

In tertia